

ciet quid merebitur ; nisi explosionem sui , & risum ? Adde quod timendum, ne vulgò uno impetu ingruerent , & confertâ velut acie obruerent resistentem-

Iam ut in corpore corrupto , quicquid infertur , magis corripit atque abit in noxam : ita similiter usu venit animis eorum, quibus ferox, aut, ut verius dicam, ferina vita.

In uno eodemque exercitu quàm varii adfectus militum sunt , tàm varia quoque delicta. Adfert enim seorsum quisq; suas culpas, quas mixti vulgant, & velut contagione tradunt invicem , capiuntq; morbos animorum. Summus autem ille, res omnes inspicit, adit, cognoscit ; nec præsentia solùm adspicit : sed præterita etiam respicit. Quid ergò mirum ? si punit diversa delicta communi-  
one quâdam juncta, quia peccata ipsa externâ communionis ratione unum quiddam Deo sunt & conjunctum. Numquid magis verè, quid ampliter magis dicere debeo. Semper potentia & militia admiranda sunt, & magni illius imperii opes. Romam fuisse supra omnes usquam aut unquam urbes. Vita Romanorum omnibus pro exemplo. Voluntas pro lege. Vox pro oraculo fuit. A qua in omne hominum genus leges & jura manârunt. Quæ benefactis honores & præmia, malefactis ignominias & supplicia proposuerunt. Omnis honestas , omnis dignitas, omnis officii ac virtutis splendor ibi clucebat ; nec ulla potest nominari virtus, quæ non in illo genere eminebat. O felices victorias , quæ & victoribus immortalẽ gloriam. O Roma *ῥωμῆ* tot virorum fortium, tot heroum egregiorum, tot summorum capitum mater. O apex ingeniorum omnium ! ô fastigium & culmen scientiæ, prudentiæ, sapientiæ. Nunc verò non umbram audent polliceri,

liceri,